



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De manso in Girching.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

Petrus & filius eius Chunrad, de Linz<sup>ingen</sup>, Chunr. de Otmaring, Hartmann VVern-  
hart, homines Hartliep. Ut rigitur hæc prædicti largitio viri vñibus prædictorum,  
fratrum in Osterhouen Deo famulantium profutura, firma, & inconuulsa per-  
petuis temporibus permaneat, & vt conditiones eius immunitate seruentur, au-  
toritate Dei omnipotentis & nostra, sub banno præsentí pagina firmam<sup>9</sup> & sta-  
bilimus, & ad iudicium firmitatis cum testimonio & fauore Patauen. chori, pa-  
ginam hanc sigilli nostri impressione communimus. Datum Patau. III. Idus No-  
vemb. Anno ab incarnatione Domini M.C.LIX. XI. an. Pontificatus Domini  
Chunradi Pat. Episcopi. Regnante Friderico Romanorum Imperatore VII. anno  
regni eius.

## De manso in Girching.

**H**ermannus Dei gratia Babenberg. Episcopus, cunctis Christi fidelibus in per-  
petuum, Notum esse volum tam futuris quam præsentibus, quod bene-  
ficium Eisengrini ministerialis nostri de Girching, in eadem villa positum ab ipso  
nobis recognitum & resignatum Ecclesiæ sanctæ Margar. & fratribus inibi Deo  
militantibus ad perpetuam possessionem tradidimus. Ut ergo ista traditio no-  
stra vñibus prædictorum fratrum in perpetuum sub seruitura inconuulsa per-  
maneat, hoc nostræ largitionis chyrographum ad indicium firmitatis impressio-  
ne sigilli fecimus nostri muniri. Testes sunt de Choro nostro Gotpoldus Archi-  
diac. & Capellanus Wilhelmus, Capellanus. De fidelibus ac ministerialibus no-  
stris, Hertnit, de Ratendorff. Albertus de Chamb, Heinr. de Widen, Engelhardus de Pi-  
belnried, Albertus de Tundenuelten, Gundelhobus de Bedelndorf, Marquardus de Wilhal-  
mestorff. Gozzuvinus & frater eius Rudolfus de Osterhouen. Chunr. de Winzer, Eppo de  
Hergolting, Rapoto & filius eius, Rapoto de Pöding, Otto de Sleten, Otto Pincerna, Alber-  
tus & frater eius, Eberhardus de Lahenstorff, Heinr. de Spilvverch & plures alij. Actum  
Osterhouen, Anno incarnationis Dominicæ M.C.LXXII. Indictione V. regnante  
Domino Friderico Romanorum Imperatore inuictissimo, anno regni eius XV.  
III. Imperij verò XVII.

Concambiū pro decima Geroltingen Grezen-  
raut & VVartperch.

**T**heobaldus cœlesti gratia Patauen. Episcopus, Cunctis Ecclesiæ suæ Christique  
fidelibus perpetuam in ipso salutem. Multorum ante nos religiosis patrum  
incitati exemplis fratribus quibuscumque sed præcipue deuotè Domino serui-  
entibus fauore & iusta potentibus assensum pariter & operam libenter debem<sup>9</sup>  
impendere. Proinde concambium quoddam infra subnotata tam nostræ quam  
multorum fidelium presentia Patau: ante aram S. Protomartyris Stephani ex  
æquo & utiliter habitum, scripto nos & testibus in perpetuum notificare & cor-  
roborare dignum & necessè duximus. Cuius tenorem à modernis pariter & fu-  
turi Christi fidelibus, iugiter in omni tempore in memoria retineri cupientes  
cunctis innotescere volumus, quod religiosi fratres de domo S. Margareta in-  
Oster, cum fratribus nostris de choro vtile ineuntis concambium per manum  
aduocati sui Adelberti de Chamb, tradiderunt præfato protomartyri arua quæ-  
dam suæ proprietatis, Chedingen videlicet & Rüthe in perpet. Kathedralium usus ha-  
benda, ipsique vicissim in recompensationem tertiam decimarum partem re-  
ceperunt, quam nostri fratres prænomi nati choro videlicet præsidentes habebunt  
vicolis annotatis. Hoc est Centingen, Geroltingen, Grezenrauth & VVartperge. Am-  
plius,